46 Ex quo deducitur, hunc numquam peccare contra votum, siue petendo, siue reddendo, etiam priori bimestri ab inito matrimonio, & quamuis sit justa diuortii causa ob adulterium. Nec peccat contra votum fornicando: sed solùm tenebitur eo matrimonio dissoluto, ab alio abstinere. Quæ omnia probaui *libro nono, de matrimonio, disputatione* 33. *numero* 22. *&* 23. contra alios, quos *ibi n.* 21. retuli.

47 Ultima conclusio. Votum non fornicandi non obligat ad abstinendum à concubitu licito, qualis est conjugalis. Quare huic id votum habenti integrum erit ad nuptias transire, & eis uti, siue petendo, siue reddendo. Quæ à nemine negatur. Sed specialis difficultas est, quando esset votum non cognoscendæ fœminæ, nec vouens interrogatus discernere nouit suam mentem, an intellexerit de omni prorsus concubitu, siue licito, siue illicito, an solùm de illicito. Et quidem id inuestigandum tunc est ex vouentis motiuo: si enim id fuit, eò quòd fornicationibus deditus erat, vel quia ex fornicatione aliquod damnum incurrit, id votum de solo concubitu illicito accipiendum erit: ac proinde huic licitum erit ad nuptias transire, & eis omnino uti. Quia id est solum votum non fornicandi cum fœmina. Si verò non eò motiuo ductus est, sed ex speciali castitatis, & abstinentiæ à concubitu muliebri affectu, accipiendum erit votum de utroque concubitu. At non erit votum castitatis. Quia peccando contra naturam actu consummato, vel pollutione voluntaria absque desiderio concubitus fœminei, & absque morosa in illum delectatione, non peccaretur contra votum castitatis, quod omnia venerea excludit: & contra votum non fornicandi propriè sumptum. Quia fornicari quid generale est ad omnia venerea extra matrimonium. Et votum de aliqua re emissum intelligitur, dum de contraria intentione non constat, instar præceptum non fornicandi comprehendit omnia venerea extra matrimonium. Nec etiam esset contra votum non cognoscendæ fœminæ, vel non fornicandi, limitando cum fœmina, cognoscere illam sodomiticè. Quia id peccatum non est cum fœmina, ut talis est, & ideo communiter non appellatur cognitio fœminæ, ut sic sub illo voto comprehendatur. Nec obstat, tactus turpes cum fœmina esse contra id votum. Quia id ideò est, quia cum non habeant speciem consummatam, & sint via ad concubitum, pertinent ad eamdem speciem, & eamdem prohibitionem concubitus. At copula sodomitica habet suam speciem completam, nec dicitur congressus cum fœmina. Quamuis autem id votum non cognoscendæ fœminæ intellectum etiam de concubitu licito, non sit ita amplum ac votum castitatis, at interdicit inire matrimonium, & eo inito interdicit debiti petitionem, item redditionem priori bimestri, item reddere, quoties est causa diuortii perpetui ob delictum conjugis; item tactus cum conjuge. Sicut hæc omnia interdici diximus voto castitatis à *numero secundo, usque ad vigesimum primum*. Et soluto eo matrimonio non licet transire ad aliud, & fornicando cum alia, contraueniretur ei voto. Quia hoc votum inito matrimonio potest absque ejus præjudicio, quo ad hæc omnia obseruari: & perinde obligat ac votum castitatis ad non cognoscendam fœminam. Quando autem omnibus circumstantiis perpensis colligi nequiret mens promittentis non cogniturum se mulierem, de quo concubitu intelligatur, videtur intelligi votum de omni concubitu. Quia cognoscere mulierem est generale ad utrumque concubitum: & fuit votum negatiuum; negatio autem quidquid post se inuenit, destruit. Sicut vouens castitatem seruare, censetur in dubio omnimodam vouisse: eò quòd verba sint generalia. Ut diximus *capit. decimo tertio, numero decimo quarto*. Et quamuis in dubio id, quod est minus, sit intelligendum: at id tunc est verum, quando nulla est pro verbis voti utrumque ex se includentibus possessio. Ut diximus *eodem capit. decimotertio, numero decimosexto, & decimoseptimo*. At hìc est possessio pro verbis voti, quæ utrumque concubitum claudunt. Sed his non obstantibus credo in dubio, id votum intelligi de sola cognitione illicita. Quia etsi ea verba ex se sint generalia, at communis usurpandi modus est pro concubitu illicito, & volentes obligare se ad abstinendum etiam à licito, non ita confusis, ac generalibus verbis exprimere solent. At verba voti sunt in dubio juxta communem usurpandi modum intelligenda. Ut diximus *hoc lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 45. *& cap. undecimo num.* 29.

48 Quæstio posterior est, de omnibus his votis emissis post matrimonium ratum, aut consummatum. Sed quia hoc raro euenit, & est res prolixa satis, libuit hìc non explicare, sed remittere ad nostrum de matrimonio tractatum, ubi *lib.* 9. *disputatione* 35. *& duplici sequenti* latissimè de his egimus.

CAPUT XXII.

Qualiter votum pœnale obliget?

SUMMARIUM.

Quid sit votum pœnale? n. 1.
An sit votum pœnale sub hac forma, Voueo religionem, si lusero, vel si filius meus luserit? *n.* 2.
An tunc sit contra votum ludere; Et quid, quando sub hac forma, Voueo non ludere sub pœnâ religionis; *n.* 3.
An quando materia principalis voti est inepta, quia mala, aut indifferens, &c. votum pœnale rei bonæ obliget; n. 4.
Quid, si non rei ipsius, sed pœnæ sit votum; n. 5.
Quid, si ille putabat se obligari, vel euentus postea subsequens declarat ipsum non esse obligatum; n. 6.
Quid, si materia principalis erat à principio apta, & postea sit inepta; num. 7.
Quid de voto, aut juramento homini prestito ingrediendi religionem, aut alterius pœnæ, si quis hanc non acceperit in uxorem; num. 8.
An ablato voto principali per irritationem, dispensationem, aut commutationem, auferatur obligatio pœnæ, & illa valeant non explicato voto pœnæ, & debeat esse major commutatio, majorque dispensandi causa ratione pœnæ; n. 9. *Et ibi an possit altera obligatio tolli absque altera;*
An, si impetretur irritatio, dispensatio, aut commutatio pœnæ, oporteat quoque narrare principalem voti materiam, & in voti commutatione, & dispensatione attendenda sit sola dignitas materiæ in se, vel etiam respectu vouentis; n. 10.
An votum pœnale castitatis, aut religionis, obliget ad expectandum euentum conditionis, & ad non incundum antea matrimonium; num. 11.
Quid, si conditio non pendeat ex vouentis voluntate; n. 12.
Quid, si quando obligatio ad pœnam incurrit, jam est initum matrimonium; n. 13.
An votum pœnale obliget ad pœnam, quando transgressio contingit absque culpa, ut ex obliuione, aut alia causa excusante, vel transgressio fuit in re leui, aut pœna obliuione; à num. 14. *usque ad* 20.
Votum pœnale absolutè emissum, an obliget transgressorem sola prima vice ad pœnam; n. 21.
Quid, si vouens credebat sola prima vice obligare votum, siue quo ad principalem materiam, siue quo ad pœnam; n. 22.
An quando est votum faciendi aliquid intra certum tempus sub quadam pœna, obliget pœna ante id tempus, quando in residuo nequit impleri; Explicatur quid in promissionibus humanis, & conciliantur duo textus, n. 23.
Quid quando pœna trahit secum executionem, ut si sit excommunicatio non facientem certo termino, an incurratur ante terminum, quando in residuo nequit fieri; n. 24.
An ante illud tempus agi possit cum effectu ad pœnam; Et cuius utilitatis sit dicere antea incurri; n. 25.
Explicatur quid in voto dicendum sit, & an voti executione prorogata, censeatur quoque pœna prorogari; n. 26.
An obligent votum pœnale, & conditionale, precisè ea die, qua impletur conditio: Et si quid particula, si, significet quando; *num.* 27.
An mora iudicanda sit in his votis à sola die impleta conditionis? num. 28.

1 PRæmittendum est, votum pœnale esse, quotiens vovens, vel jurans minimè est affectus ad rem illam tamquam pœnam sibi promissam, sed illam sibi tamquam pœnam proponit, ut ejus incurrendæ timore arceatur à crimine, quod cauere optat. Ut si quispiam voueat, vel juret se non lusurum sub pœna castitatis seruandæ. In quo voto animus directè fertur ad vitandum ludum, & solùm in ludi pœnam castitas vouetur. In quo autem distet à conditionali, explicabimus *capite sequenti, numero primo*.

2 Bifariam autem potest emitti. Priori modo, quando utrumque sub voto, vel juramento clauditur, nempe, vitatio illius rei, & solutio pœnæ, ea re non vitata. Ut cum quis sic vouet, *Voveo me non lusurum sub tali pœna*. Posteriori modo, quando juramentum, & votum sunt de sola pœna, & res vitanda ponitur sub conditione in cujus euentu promittitur pœna. Ut *Voueo religionem, si lusero*. In quo euentu quibusdam placet non esse votum pœnale, sed conditionale. Alii volunt esse votum pœnale. Utrosque, & eorum rationes retuli *lib.* 8. *de matrimonio, disputat.* 10. *nu.* 2. ubi *num.* 3. retuli alios tenentes mediam sententiam, quam *ibi* amplexus sum, & nunc quoque amplector: quæ est, si animus vouentis non sit affectus ad rem promissam, ut religionem, sed quò rem in conditione positam, nempe, ludum illum vitet, proponit sibi in pœnam religionem, est verè pœnale. Si verò ex affectu rei promissæ voueat, casu tamen, quo ponatur illa ludi conditio, non eligens tunc religionem tamquam sibi odiosam, ac in pœnam, sed tamquam sibi gratam, ut in eo statu vitam quietam transigat abstinens à ludo, est verè conditionale. At rarissimè dixi *ibi* vota hæc posteriori hoc modo fieri, & ita ferè semper esse pœnalia, & à communiter accidentibus talia

talia in dubio judicari, ubi non constat de contra voventis intentione. Atque simili distinctione utendum *ibi* dixi, quando pater vouet, aut jurat religionem, aut aliquid aliud, si filius luserit: atque in dubio intentionis censeri pœnale.

3 Prima conclusio sit. Quamuis votum pœnale utroque modo emissum obliget, utpote quod est de re licita: at latum est discrimen quo ad obligationem. Quippe priori modo emissum est duplex virtute votum, alterum absolutum illius rei promissæ, ut non ludendi: alterum autem conditionale pœnale illius pœnæ casu, quo ludatur. Quare ludendo tunc peccatur contra votum, vel juramentum & remanet sub eodem vinculo obligatio ad pœnam. At posteriori modo, est unicum solius pœnæ subeundæ votum casu, quo ludatur. Quare ludendo non peccatur contra votum, vel juramentum, sed manet sub eo vinculo obligatio ad pœnam. Ratio differentiæ est clara, quia priori modo promittitur res illa, & pœna; at posteriori sola pœna. Et ita docent *Metina* 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. *ad* 2. *Azor. lib.* 11. *institut. moral. cap.* 7. *q.* 8.

4 Secunda conclusio. Quando principalis voti, vel juramenti verè pœnalis, materia est inepta, ob quamcumque rationem id contingat, & ideò votum, & juramentum de illa non obligant, votum quoque de pœna imposita non obligat. Ut si quis promittat, vel juret rem malam, ut vindictam, vel indifferentem, ut non ludere cum persona determinata, vel in quadam speciali domo, vel certo ludo in casu, in quo hæc indifferentia sunt, vel rem impossibilem simpliciter, aut sibi, ut ingressum religionis, in quam juxta ejus institutum admitti nequit, sub pœnâ castitatis seruandæ, sicut votum rei principalis non obligat, ita nec votum pœnæ. Qua pœna non per se, & principaliter promittitur, sed ut accessoria voto principali. Cum ergo principalis obligatio non subsistat, nec accessoria ejus naturam sequens subsistet. *Regula Accessorium de regul. jurit, in* 6. *regula Cum principalis, ff. eodem tit.* Et docet *Alcozer summ. cap.* 6. *ad finem, fol.* 59. *vers. La primera es.*

5 Atque idem dicendum est, si esset votum solius pœnæ, casu, quo verè pœnale est, juxta dicta *n.* 2. Si enim res principalis, quam intendebat exequi, aut vitare, & in cujus euentu eam pœnam sibi statuit, non est apta voti, vel juramenti materia, ita ut hæc de illis emissa non obligarent, nec votum, vel juramentum de ea obligant. Ut si quis volens vindictam sumere de aliquo, vel nolens ludere cum aliquo, vel in domo certa, vel certo ludo casu, quo hæc sint indifferentia, voueat; vel juret in sensu pœnali, se ingressurum religionem, si vindictam non sumpserit, aut si ingressus fuerit ad ludendum illam domum, aut si luserit cum ea persona, vel eo ludo, est prorsus irritum votum. Quia materia illa bona promissa non promittitur per se, & principaliter, sed in pœnam illius rei omissæ, aut commissæ. At ingressus religionis in illius pœnam non pertinet ad Dei obsequium, sicut nec res illa principalis.

6 Nec quidquam refert, si ille falsò putaret, quando vouit, se obligari ad pœnam, vel illud rei principalis votum obligare, & ita ex conscientia erronea peccaret in transgressione; adhuc enim votum non ligabit. Quia ignorantia vouentis nullam obligationem producere potest, quando materia obligationi inducendæ inepta est. Sed major difficultas est, quando solos euentus post voti transgressionem subsecutos ostenderet hunc excusari à voto exequendo. Ut si quis promisit religionis intra annum ingressum, cui aptus erat, sub pœna castitatis seruandæ, & omisit diligentiam ingressui necessariam illo anno; at transacto anno eam petiit, & sufficienter petita denegatur sibi in perpetuum; ac certum est idem fore, si anno, quo tenebatur, eamdem diligentiam adhibuisset. Videtur enim hic ad pœnam obligatus. Quippe non tantùm quo ad suam conscientiam erroneam, sed re ipsa votum transgressus est. Quia re vera ea religio erat sibi possibilis secundùm ejus statuta, & tenebatur intra eum annum apponere diligentiam debitam, ut admitteretur; eamque omisit; & solùm est verum eum excusari à transgressione, quamdiu non admittitur. At probabilius est, hunc non teneri ad pœnam. Quod hic ex sua conscientia erronea putet se obligatum ad votum rei principalis; eò quòd ignoret fore, ut non admittatur; quare si id certò sciret, ad nullam diligentiam adhibendam teneretur. Sicut etiam promittens religionem, cui secundùm ejus statuta ineptus est, & ignarus statuti non adhibet diligentiam ut admittatur; reus est voti juxta suam conscientiam; at cum postea sciret se fuisse ineptum, non tenebitur ad votum, nec ad pœnam. Atque idem dicendum est, si comperiret post eum annum diligentiam eo adhibitam fore frustraneam; quia certum est eo non admittendum, non enim tenebitur ad pœnam, quamuis eo anno diligentiam peccando omiserit, etsi postea non expellatur, sed admittatur transacto eo anno. Quia votum non verè obligabat ad rem illam frustraneam, sed ex sola vouentis ignorantia.

7 Ex his deducitur, votum pœnale utrouis modo emissum, ita dependere à materia principali, ut quamuis ea ab initio esset apta voti materia, & sic votum pœnæ obligaret; at cessabit pœnæ obligatio cessante illius materiæ honestate. Ut si quis promisit non ingredi certam domum sub pœna religionis, vel religionem in pœnam ingressus, si illam ingrediatur, eò quòd esset ibi mulier ad fornicandum prouocans, non teneretur ad pœnam mulieri illa domicilium mutante, & sic ingrediens. Quia jam res principalis promissa, aut desiderata, nempe, non ingredi illam domum, est indifferens, & inepta voti materia. Et ita procedunt rationes traditæ *numero quarto & quinto*, ut votum pœnale tunc non obliget.

8 Secundò deducitur, quid dicendum sit de voto cum aliqua persona matrimonii induendi, sub pœna ingressus religionis, vel ingrediendi religionem, si illam vouens non duxerit, quando sensus est pœnalis, sicut explicuimus *num.* 2. Et quidem posset hoc votum personæ illi emitti, promittendo illi matrimonium, & vouendo, vel jurando religionis ingressum, si fides seruata non fuerit, ita ut tunc votum adhibeatur instar juramenti ad confirmandam eam promissionem. Et in hoc casu votum non obligare, latè probauimus *libro* 7. *de matrim. disp.* 88. *nu.* 37. At difficultas est, quando ea promissio soli Deo fieret. In quo casu non loquitur *cap. Gemma de sponsal.* interdicens pœnam in sponsalibus apponi. Quare tunc videndum est, an votum illius specialis matrimonii ineundi valeat, an non. De qua re satis egimus *hoc libro* 4. *capit.* 8. *à num.* 51. *usque ad* 55. Et aduertendum est stare posse, ut valeat in hoc votum matrimonii ob carnis illecebras, non autem valeat votum hujus matrimonii, sed res indifferens sit. Ut stat votum non ludendi valere, cum tamen non valeat votum non ludendi cum hoc. Quare considerandum est, an votum illius specialis matrimonii valeat, juxta *ibi* tradita, & si non valeat, nec valebit quoque votum pœnæ. Ut constat ex dictis *numero* 4. *&* 5. & si verò illud valeat, valebit quoque hoc. Ducor, quia *cap. Gemma de sponsalib.* solam pœnam sponsalibus inter ipsos contrahentes adjectam interdicit; nec de voto soli Deo emisso quidquam agit. Nec est eamdem ratio, ac de pœna per modum contractus apposita inter ipsos contrahentes. Quia hæc à solo altero contrahente remitti potest; & ita præbebitur ansa matrimoniis coactis; quam textus ille vitare voluit. At quando est soli Deo votum emissum, est facilis dispensatio, aut commutatio prælati.

9 Tertiò deducitur, quid in ea quæstione dicendum sit, an ablata principalis voti obligatione ante incursam pœnam, auferatur subinde obligatio pœnæ. Ut si quis votum non ludendi emisit sub pœna ingressus religionis, *Alcozer summa cap.* 13. *ad finem, fol.* 59. *vers. La segunda dotrina, & vers. La quarta dotrina* ait sufficere auferri per irritationem, dispensationem, aut commutationem, obligationem operis promissi, ut consequenter tollatur obligatio pœnæ nondum incursæ. Id autem minimè probari. Quia obligatio ad pœnam est accessoria obligationi voti principalis. Ergo hæc destructa per irritationem, vel dispensationem, vel commutationem, destruetur quoque illa, juxta dicta *n.* 4. 5. & 7. Nil referre videtur, an cesset obligatio voti principalis ratione materiæ ineptæ, vel quouis alio modo. Cum eadem militet ratio obligationis accessoriæ ad pœnam dependentis à voto principali. Et confirmatur, quia vouens ire Romam sacco indutus, eo ipso quòd à peregrinatione deobligatur, manet liber à voto sacci illius induendi, quod fuit accessorium. Secundò, quia si ille prorsus voti immemor, contra illud faceret, non esset pœnæ obnoxius. (Ut à *num.* 14. probabimus.) Cujus non est alia ratio, nisi quia ille non est transgressor voti principalis, cui est adnexum pœnæ votum. At ablato voto principali his modis, jam illud non obligat, & sic contraueniendo non violabitur. Ergo non obligabit pœna. Sed pro contraria parte fortissimè urget. Quia ibi sunt duo vota, ut diximus *numero* 3. ac proinde utrumque indiget dispensatione, irritatione, vel commutatione. Dices esse duo voto; at posterius esse accessorium, & dependens à priori. Et sic cessante obligatione prioris voti, cessabit quoque posterioris. Sed contra est, quia potest una separari ab altera per irritantem, dispensantem, vel commutantem, tollendo, aut commutando solam obligationem ad rem principalem, vel solam obligationem ad pœnam, manente altera obligatione. Ergo utraque obligatio separari potest; ac proinde quando sola principalis proposita est irritanti, dispensanti, vel commutanti, ea sola cessabit. Secundò, quia aliàs in commutatione voti non ludendi sub pœna religionis, nulla esset habenda ratio religionis in pœnam promissæ, sed solius ludi: si quidem cessante non ludendi obligatione, cessaret quoque obligatio religionis. Nec esset opus eam explicare in dispensationis voti illius non ludendi impetratione; imò valeret dispensatio mentiente impetrante dicendo, nullam sibi imposuisse pœnam; eò quòd fuerit mendacium circa rem vanam, & dispensationi inutilem. Quæ manifestè apparent falsa; cum multò majoris obsequii diuini votum sit non ludendi cum illa pœna, quàm non ludendi absolutè. Quia in priori casu est votum de duplici obsequio diuino: & ita majorem commutationem exigit, & majorem dispensandi causam. Et confirmatur quia si quis promisisset se iturum Romam sacco indutum, quamuis hæc circumstantia peregrinationi accessoria sit, & voto peregrinationis omnino cessante cessare obligatio illius. At necessaria esset mentio illius in irritatione, dispensatione, & commutatione, & major commutatione, majorique dispensandi causa opus esset in voto illo ratione illius circumstantiæ, utpote quæ meritum, & dignitatem peregrinationis auget. Nec obstant rationes contrariæ. Quia illis respondendum est, obligationem pœnæ pendere à voti principalis obligatione; at ita pende-

re,

re, ut materiæ in illo promissæ dignitatem augeat in ordine ad obsequium diuinum, & ita speciali illius mentione indigeat tamquam parte inclusa in voto principali, ut id censeatur ablatum; quasi non integrè votum explicetur, & ideò non sublatum sit tacita ea ad pœnam obligatione. Ut contingit in proposito peregrinationis cum sacco exemplo. At secùs est, quando omnino deobligaret peregrinatio, ea reddita impossibili; & similiter, quando votum rei principalis ratione materiæ ineptæ deobligaret omnino: aut ejus transgressio cessaret ratione obliuionis à culpa excusantis. Fateor argumenta pro utraque parte urgere: at verior mihi videtur prior sententia, quam sustinet *Alcozer* allegatus. Et ita summatim explicando meam sententiam, & simul respondendo ad contraria argumenta, dico post incursam jam pœnam posse separari dispensationem, commutationem, vel irritationem pœnæ, à dispensatione, commutatione, vel irritatione voti principalis, & è contra; & tunc illam egere speciali causa, & mentione in dispensatione, & speciali commutatione, nec sufficere, si hæc fiant circa votum principale. Quòd tunc jam votum obliget ad pœnam independenter à voto principali, & sic licèt materia voti principalis tunc redderetur omnino inepta, ac proinde obligatio voti circa illam prorsus cessaret, obligatio pœnæ jam contracta non extingueretur. Cæterùm antequam pœna incurratur, potest utique dispensari in voto, illudue commutari, irritarique quo ad pœnam, ne, scilicet, ea transgrediendo totum incurratur; manente obligatione voti, quo ad materiam principalem. Quia obligatio hæc non pendet à pœnæ obligatione, & ita hac cassata, potest illa manere. At nequit dispensatione, commutatione, aut irritatione tolli obligatio principalis materiæ, manente obligatione ad pœnam. Quia pœna illa omnino pendet à transgressione obligationis voti, quo ad principalem materiam; & cum hæc cesset ablato eo voto, cessat quoque necessitate consequentiæ obligatio ad pœnam incurrendam. Quare nulla illius pœnæ nondum incurræ, sed solius voti principalis materiæ mentione opus est, ut in eo voto integrè, quo ad utramque partem dispensetur, illudve irritetur, aut commutetur, nec opus est majori ad dispensandum causa, majorive commutatione; sed omnia hæc valebunt tacita imò, & mendosè negata obligatione ad pœnam ex voti transgressione impositam, & nondum incursam. Quia cum non sit promissa pœna per se, & tamquam pars materiæ principalis, nec ejus obligatio sit contracta, sed tamquam consequens voti materiæ principalis transgressio, concomitatur ablationem voti, quo ad materiam principalem; & sic hujus tantùm materiæ ratio habenda est. Et ideò quamuis augeat adjectio illa pœnæ promissæ meritum, & dignitatem voti, utpote quod fortiori vinculo innititur, at quia non auget tamquam pars illius materiæ principalis, nec tamquam quid necessariò cum illa implendum, sed debendum ex voti transgressione, ideò nulla est ejus mentio necessaria, sed consequitur cessationem voti, quo ad materiam principalem. Nec est simile de exemplo sacci. Quippe saccus ille est promissus determinatè tamquam pars ejus peregrinationis, & statim est jam illius obligatio contracta.

10 Quartò deducitur, quid dicendum est, quando solius pœnæ, siue jam incurræ, siue solùm incurrendæ, & siue sit votum solius pœnæ, siue utriusque, impetratur dispensatio, commutatio, vel irritatio, an sit opus mentionem facere materiæ principalis, cujus transgressioni adnectitur illa pœna? Et videtur ea mentio necessaria. Quia eò dignior, & majoris meriti est obligatio ad pœnam, quò dignior est materia, cui adnectitur; utpote quæ digniorem obligationem firmat. Ergo, ut dignitas voti pœnæ explicetur, opus erit materiam principalem explicari. At verius credo sat esse explicare obligationem ad pœnam. Quia satis est explicare dignitatem materiæ promissæ, quo ad suam substantiam, & secluso respectu ad vouentem, & ad alias circumstantias extrinsecas. Ut impetrans dispensationem, aut commutationem voti alicujus rei, non oportet, ut explicet finem, qui in voto intentus est, nec occasiones peccandi, quas rem promissam exequens vitabit, quamuis ex his major dignitas materiæ promissæ consurgat; nisi finis ille, vel vitatio occasionum sit pars rei promissæ; eò quòd illa quoque promissa sint per modum unius. Ut contingit, quando materia est de se indifferens, & redditur apta, eò quòd illa vitatur occasio peccandi. Ut in voto non ingrediendi certam domum.

11 Demum quintuplex superest difficultas. Prima est an emittenti votum pœnale castitatis, religionis, non nubendi, aut assumendi ordinis sacri, utrouis modo ex iis, quos *numero secundo* explicuimus, integrum sit, antequam pœnam incurrat, ad matrimonium transire, an potiùs teneatur se aptum seruare, ut pœna incursa possit illam seruare? Ratio dubitandi est, quia in voto conditionali teneri eum expectare conditionis euentum, aut defectum, nec antea posse transire ad nuptias, dicemus *capit. sequenti, numero vigesimo octauo*, & ejus ratio est, quia etsi suspendatur perfecta exequendi obligatio usque ad conditionis euentum: at antea oritur obligatio in spe, ex eo contractu conditionali, nec licet resilire, sed expectandus est conditionis euentus, nec interim licitum est reddere se ineptum ad explendum votum euenientе conditione obligans. At eadem in spe obligatio oritur ex voto pœnali, & euenиente conditione perinde tenetur vouens ad pœnam castitatis, vel religionis, ac ille, qui votum horum conditionale emisit. Nec licet vouenti resilire ab ea pœna sibi imposita, etiam antequam incurratur. Ergo eodem modo ac votum conditionale obligabit ad non reddendum se ineptum illi voto seruando, & ad expectandum conditionis euentum. Et confirmatur, quia etsi promittens in pœnam nollet euentum, ut sic teneatur ad illam, & proinde videatur non teneri ad expectandum. At hoc nil ad rem facit; quia promittens religionem, quando suus pater obierit, nollet mortis paternæ euentum; & in voto conditionali per modum sponsionis facto, ut *si hoc evenerit, voveo religionem*, nollet vouens euentum. Et tamen tenetur se aptum ingressui seruare, nec ante conditionis defectum potest matrimonium inire. Sed existimo posse illum ad nuptias transire, antequam pœna incurratur, siue votum fuerit ad tempus, ut non ludendi intra annum sub pœna religionis, vel *si lusero intra annum, promitto religionem*; siue hæc vota sint in perpetuum. Ducor, quod non omne conditionale votum obliget ad conditionis euentum, aut defectum expectandum; sed tantùm, quando conditio non pendet ex libera vouentis voluntate. Si enim quis sic vouеat, *si religionem ingrediar, erit Carthusiana*, potest statim ad nuptias transire; eò quòd conditionem ex ejus libertate pendentem apposuerit. Sic ergo contingit in votis pœnalibus, conditio enim, sub qua pœna promittitur, pendet ex vouentis libertate. Et ratio est, quia cum liberum sit vouenti apponere, & non apponere conditionis euentum; imò, & in voto pœnali aliquando teneatur non apponere, minimè teneatur ejus euentum expectare.

12 Quare obligaret utique id votum pœnale ad non ineundum matrimonium, si ea conditio non penderet ex vouentis libertate. Sicut probant rationes *numero precedenti* adductæ pro priori parte. Ut si pater promittat religionem, si filius luserit, in pœna ludi filii. Nullam enim discriminis rationem inter hoc votum pœnale, & reliqua conditionalia, in quibus euentus conditionis non pendet à vouente, jejunio.

13 Siue tamen licitè, siue illicitè, voto pœnali castitatis, religionis, non nubendi, aut assumendi ordinis sacri adstrictus; matrimonium ineat, antequam pœnam incurrat; tenebitur ea incursa, si sit religionis, eo modo votum seruare, quo diximus *hoc 4. lib. c. 16. numero 117.* teneri eum, qui post votum religionis ad nuptias transiit. Si autem sit votum castitatis, non nubendi, aut ordinis sacri, eo modo, quo diximus toto *cap. præc.* hæc vota ante matrimonium emissa obligare illum, qui jam matrimonium iniit. Quia quamuis hic non deliquerit transeundo ad nuptias; at cum tunc impleta sit conditio, incipit obligare id votum pœnale ante matrimonium factum, perinde ac si ex tunc absolutum fuisset. Cum ea obligationis conditionalis sit natura, ut impleta conditione obliget eodem modo, ac si à principio obligatio esset absoluta, *leg. Potior 11. in fine principii, ff. qui in pignore potiores habeantur.*

14 Secunda difficultas est, an quando transgressio voti pœnalis culpæ vacat, ratione obliuionis ejus, aut cujuscumque causæ, obliget pœna? Ut promisit quis se non lusurum sub pœna religionis, vel *si lusero, promitto religionem*, in sensu pœnali, quem *n. 2.* explicuimus; & posteà immemor voti, aut pœnæ, aut ex causa excusante à culpa lusit, an teneatur ad religionem? Et quidem contingit votum esse ad vitandum aliquod peccatum contra jus naturale, contra diuinum, positiuum, aut Ecclesiasticum; ut si conditio sit, si vouens forniceturr, si non audiat sacrum diebus festiuis, &c. Vel non ad vitandum peccatum, ut, si luserit, non audierit aliis diebus sacrum.

15 Et quidem, quando votum utrouis modo emissum ordinatur ad vitandum aliquod peccatum, existimo pœnam incurri, quotiescumque ille aliqua ex causa excusatur à peccato transgressionis illius præcepti. Ut si sit fornicatio materialis, eo putans se accedere ad suam, vel non peccauit omisso sacro promisso in die festo, ex obliuione naturali, aut ex alia justa causa. Ratio est, quia pœna voto promissa fuit in illius peccati transgressionis pœnam; ac tunc nullum fuit peccatum. Item, quia accessus ille non est fornicatio formalis, sed materialis; nec omissio illa sacri est talis formaliter, sed materialiter, & secundùm quid. Et ita non est verè posita conditio. Atque idem crederem, etsi vouens pœnam explicuerit, quamuis ex obliuione, aut ignorantia ea admiserit; dum enim de expressa alia vouentis intentione non constaret, sed ea dubia esset, credo intelligi de obliuione, & ignorantia vincibilibus, & sic includentibus culpam. Nam cum hæc, dum inuincibilia sunt, non sit in vouentis potestate vitare, non est existimandus pœnam iis adjicere.

16 Atque idem crederem, etsi in transgressione, obliuione, aut ignorantia interuenerit sola venialis culpa. Quia tanta pœna soli veniali non imponitur.

17 Sed major difficultas est, quando ille non excusatus est à mortali præcepti transgressione, sed fuit prorsus voti immemor. Ratio autem dubitandi est. Quia si votum fuit de illo præcepto seruando, & de pœna, ut votum non fornicandi, vel audiendi sacri in festis, sub pœna religionis, pœna illa non imponitur transgressioni voti, qualiter censeretur imposita, si sic voueret, *si transgressus fuero hoc votum, promitto religionem*; sed imponitur transgressioni præcepti, & eò solùm tendit, ut ejus incurrendæ timore seruetur præceptum.

ceptum. Cum ergo perfecta præcepti transgressio adsit, obligabit pœna. Si verò votum sit solius pœnæ, ut *si fornicatus fuero, voueo religionem*, nulla potest esse transgressio voti fornicando, cum de hac fornicatione vitanda non sit votum. Nec potest esse alia, quàm non implendo pœnam; de qua solum est votum. Nec ad pœnam incurrendam oportet illam scire, illiusve meminisse. Ut *numero decimo nono* dicemus. Ergo solius præcepti transgressioni imposita est, & sic incurretur. Et ideò in utroque casu pœnam hanc incurri, est satis probabile. Atque hanc partem defendent Doctores asserentes pœnam incurri, quoties actus est alio jure interdictus, nec à culpa illa excusatur, etsi adsit ignorantia juris noui imponentis pœnam. Quos, & eorum rationes retulimus *lib. 9. de matrimonio, disputatione 32. numero 16.*

18 At probabilius existimo, in neutro casu deberi pœnam. Ducor, quòd *ea disputatione 32. numero 17.* tamquam probabilius amplexus sum, pœnas jure nouo statutas non incurri ab ignorante illud inuincibiliter. Cui ignorantiæ æquiparatur naturalis obliuio, & inuincibilis. Cum æquè utraque excusent ab ejus transgressione. At votum non aliter obligat, quàm lex. Ut diximus *hoc l. 4. c. 11. n. 31.* Ergo ubi adest naturalis obliuio illius voti, non incurretur pœna illo statuta. Nec obstat, quando est votum solius pœnæ, nullam nouam culpam, aut transgressionem esse, committere peccatum illud. Quia idemmet contingit in legibus humanis interdicentibus sub aliqua pœna aliquid alio jure, siue naturali, siue humano vetitum; rarò enim ad nouam culpam obligant. Ut diximus *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 5.* Et tamen ignorans non incurrit illarum pœnas. Neque enim verum est, actum illum non interdici ea lege, vel illo voto. Quippe interdicitur, non nova culpa, sed nova pœna superaddita.

19 Sed si voti memoria adsit, non tamen pœnæ, existimo in utroque casu eam incurri. Quòd ignorantia pœnæ ab illa non excuset, præterquàm in censuris. Ut probaui *lib. 9. de matrim. disputat. 32. num. 20. & 21.* Quamuis ubi pœna voto promissa esset grauissima, & extraordinaria, qualis est religionis, castitatis, peregrinationis Hierosolymitanæ, &c. est probabile eam non incurri. Secùs quando pœna non esset exorbitans, & extraordinaria. Quia in ignorantia similium pœnarum legis, tenent idem aliqui, quos *ibi* retuli *num. 20.* & dixi esse probabile *num. 21. eadem disputatione 32.*

20 Tandem idem prorsus, quod hucusque *à nu. 15.* diximus de voto rei prohibitæ, sub aliqua pœna emissa, intelligo, etsi materia illa in voto contenta non esset aliàs interdicta: si enim emittatur de ipsa, & de pœna votum; *promitto me non lusurum, vel auditurum quotidie sacrum, sub tali pœna*; siue de sola pœna, ut *si lusero, si non audiero quotidie sacrum, promitto talem pœnam*; credo pœnam non incurri, quando transgressio est leuis, ut si modica sacri pars omittatur, vel materia ludi sit modica, quod quando in ludo contingat, & non semper id spectari ex quantitate ludo exposita, explicuimus latè *lib. præcedenti cap. 18.* & quoties ex naturali voti obliuione, aut ex alia justa causa excusante à culpa mortali, id contingeret. Ducor, quòd si votum sit directè de ipsa materia, pœna imponitur transgressioni voti: ac proinde non incurretur, dum hæc leuis fuerit, vel culpa vacarit. Si verò votum sit de sola pœna, adhuc ea pœna imponitur illi actui, quatenus est per votum interdictus, non absolutè, & sub obligatione ad culpam, sed sub obligatione ad pœnam. Ergo ubi aut non contrauenitur, aut id est leuiter, ei prohibitioni, non erit locus pœnæ. Si verò solius pœnæ sit obliuio, dicendum est omninò, quod *numero præced.* diximus ob rationem *ibi* traditam.

21 Tertia difficultas est, an votum pœnale obliget sola prima vice ad pœnam? Ut votum non ludendi, sub pœna certæ peregrinationis, aut eleemosynæ, aut votum illius peregrinationis, eleemosynæve, si ludatur. *Emmanuel Sà summa, verbo Votum in principio, numero vigesimo sexto*, ait sola prima vice pœnam incurri, nisi constaret expressam vouentis intentionem fuisse toties, quoties. Sed hujus fundamentum non video, & ideò non approbo. Nam qui absolutè vouet se non lusurum, non pro sola prima vice obligatur, sed semper. Ergo nec qui vouet aliquam pœnam, si luserit, vel non ludere sub certa pœna, obligabitur sola prima transgressione ad pœnam. Cum pœna accessoria sit illi actui tamquam principali, & ideò ejus naturam debeat sequi. Et confirmatur, quia utrumque votum est æquè indeterminatum. Ergo aut utrumque, aut neutrum debet obligare pro sola prima vice. Hinc tamen excíperem pœnam grauissimam, & quæ iterari non solet, in hac enim credo veram priorem sententiam, ut ea pro sola prima transgressione obliget. Ut si quis promisit non ludere sub pœna peregrinandi Hierosolymam, aut religionis, aut exorbitantis eleemosynæ, credo, ubi non constaret de alia expressa vouentis intentione, eam fuisse ad solam primam vicem se obligare, piè interpretandum esse. Quare si violato voto illius rei, aut commissa re, quæ posita est in conditione, ut obligaret pœna, illa ingrederetur religionem, quæ fuit pœna, & tempore nouitiatus ex justa causa exiret, & sic jam voto pœnæ satisfecisset, & iterum incideret, non obligaretur amplius ad illam pœnam; & sic de pœna Hierosolymitanæ peregrinationis, & aliis exorbitantibus. Secùs esset, quando pœna esset mediocris, tunc enim obligaret toties, quoties. Atque idem credo in dubio, an pœna sit exorbitans, an mediocris. Cum enim id votum obliget siuapte natura toties, quoties; quando contrarium non apertè ex maxima pœnæ gravitate deducitur, posidet votum, ut eo modo obliget.

22 Sed quid, si ille crediderit votum, siue rei principalis, siue pœnæ semel violatum, non amplius obligare? Ut passim contingit in confessionibus, qui enim jurauit, aut vouit se non lusurum, rogatus quoties luserit, solet respondere se existimasse, ubi semel jam lusit, non amplius obligari voto. Et quidem hic potest se habere tripliciter. Aut enim ejus ignorantia fuit positiua, ideſt, error; quia, scilicet, hunc conceptum erroneum aliquando formauit, votum semel violatum non amplius obligare instar præcepti jejunii. Aut fuit ignorantia negatiua, quia, scilicet, nullum conceptum antea de hoc formarat; at quando semel violauit, jam deinceps violabat existimans se non peccare; vel modò rogatus de numero, aduertit se ignorasse amplius votum obligare, quando semel violatum est. Tandem potest esse dubius, an positiuè errarit, vel fuerit negatiuè ignorans, vel an utrauis ignorantia voti emissionem præcesserit. Quando ergo ignorantia illa fuit positiua, & certus est fuisse ante votum eum errorem, non obligat votum ultra primam vicem. Quia ille error semel conceptus, & numquam depositus, manet habitu; & sic efficit, ut voluntaria voti obligatio juxta errorem illum sit assumpta. Sed quando ignorantia fuit negatiua, videtur etiam votum non amplius, quàm primæ vice obligare. Quia ignorans penitus voti obligationem, non tenetur voto, nisi constet illum ea expressa intentione vouisse, ut velit id efficere, quod vouentes efficiunt. Quia cum voti obligatio debeat ex propria vouentis intentione consurgere, ubi prorsus est obligationis ignorantia, nequit obligatio esse voluntaria. Ergo idem est dicendum de ignorantia partis obligationis voti. Quia eadem est proportio totius ad totum, & partis ad partem, & sicut à tota obligatione excusatur ratione ignorantiæ totius, eò quòd tota sit inuoluntaria; ita excusabitur à partis ignoratæ obligatione, utpote quæ ratione illius ignorantiæ est similiter inuoluntaria. Et confirmatur, quia nequit major ex voto obligatio oriri, quàm à vouente intenta sit. At qui ignorauit ampliorem voti obligationem, quàm pro prima vice, nequit majorem obligationem intendere. Verùm dicendum est obligari toties, quoties, perinde, ac si naturam illius voti ignorans hic cognosceret. Ducor, quòd vouens sciens se obligari, nec in obligationis modo positivè errans, sed illum negativè ignorans, censetur, nisi contrariam intentionem expressam habeat, velle virtute se obligare instar aliorum vouentium, & juxta voti emissi naturam. Alias fractio voti in rusticis non esset sacrilega, nec obligarentur ad circumstantias voto necessariò adnexas. Quia eas ignorant, & fractionem esse sacrilegam; & tantùm norunt se voto obligari. Et ad rationes contrarias respondetur, eamdem proportionem seruari, quando in totius, & partis obligationis ignorantia reperitur eadem ratio: quod hic non contingit. Quia ignorantia totius obligationis tollit omnino cognitionem obligationis, & consequenter efficit nullam obligationem esse voluntariam, nec formaliter, nec virtute. At ignorantia partis obligationis non tollit omninò cognitionem obligationis ejus partis. Quia in cognitione obligationis talis voti includitur confusè, & virtute cognitio omnium partium ejus obligationis, & voluntas virtualis omnes illas amplectendi. Tandem, quando vouens dubius est, an obligationem voti ignorarit, vel an errarit circa obligationе illius, ubi prima vice violatum est; vel an circa hæc fuerit error, an potiùs sola ignorantia negatiua, obligatur voto. Quia cum de verbis votum inducentibus constet, & excusatio ratione ignorantiæ, aut erroris sit dubia, stat possessio pro voto, & sibi ratione ignorantiæ excusanti incumbit onus demonstrandæ ignorantiæ, ac dum non demonstrauerit, sed res manet dubia, vincet possessio voti, obligabitque. Quòd si certum sit illum ignorasse, vel errasse circa hoc, & postea admonitum fuisse, dubitat tamen, an admonitio præceserit voti emissionem, an subsecuta sit, non stat possessio pro voto. Quia constat de ignorantia, vel errore, & sic de causa ex se excusante: illam autem ante voti emissionem cessasse non constat, nec cum sit quid facti, præsumitur. Non ergo possidet votum, nisi constet antea cessasse. Quare in hoc dubio si fuit ignorantia illa totius obligationis voti, siue fuerit ignorantia positiua, ideſt, error, siue negatiua, non obligabit votum. Quia utraque ignorantia totius obligationis reddit irritum votum. Si verò fuit ignorantia partis, nempe, obligationis, post primam voti violationem, si fuit positiua, ideſt, error, non obligabit votum in hoc dubio; secùs si fuit negatiua. Quia hanc etsi certum esse non esse deposítam, diximus non impedire obligationem illius partis ignoratæ.

23 Quarta difficultas est, an vouens aliquid efficere sub aliqua pœna incurrat illam, quando terminum certum voto implendo apposuit, eo solo tranſacto, an potiùs à tempore, quando certum est in residuo votum impleri non posse Ut si quis vouit se intra biennium integrè ædificaturum Ecclesiam, vel peruenturum Hierosolymam causa peregrinationis, sub pœna religionis, vel vouet religionem, si intra biennium

ennium ea non perfecerit, in sensu penali transiit tantum temporis vouente non incipiente culpa sua exequi, ut in residuo certum sit non posse rem illam voto promissam impleri, an obliget statim pœna ingressus religionis, an solum biennio illo transacto? Qua in re præmittendum est, quid in similibus promissionibus humanis sit jure cautum. Sunt enim duo textus, qui sibi adversari videntur. Prior est *l. Cum stipulatus fim mihi* 113. *ff. de verborum obligat.* ubi expressè decidituir, in promissione aliquid efficiendi ante Julii Kal. sub certa pœna, hanc incurri ex eo tempore, in cujus residuo certum est opus perfici non posse. Posterior est, *l. Insulam* 125. *ff. eod. titulo*, ubi expressè decidituir, promittente quopiam ante biennium insulam ædificare, stipulationem non committi ante biennii finem, quamuis id temporis supersit, quo ædificium exstrui nequeat. Sed uterque textus sic conciliandus est, ut prior intelligatur de pœna conuentionali, id est, quæ ex partium conuentione imponitur, posterior autem de legali, idest, quæ lege ipsa debetur, qualis est interesse, quamuis de ea inter partes conuentum non sit. De qua etiam idem constat, nempe, eam non deberi ante totius termini lapsum, ex *cap. Commissa, de electione in* 6. nam *cap. Licèt canon, eodem tit. & lib.* statuta erat pœna vacationis beneficii parocho, qui intra annum non promouetur ad omnes ordines sacros; & tamen decidituir *eo cap. Commissa*, id beneficium minimè vacare ante totius anni lapsum. Cum tamen si nondum initiari cœperat, constet anni lapsum omnes suscipi non posse. Et ratio disparitatis est, quia pœna legis debet esse mitior, & magis restringi, quàm pœna hominis. Mitius enim agitur cum lege, quàm cum homine *l. Celsus in principio ff. de arbitris*. Item, quia pœna legalis est odiosior, quàm ex partium consensu decedentis qualis est conuentionalis. Et ita eos textus conciliant *Glossa ea l. Cum stipulatus, verbo Commissa*; & *ibi Bart. num. 1. Angelus numero 3. Paulus num. 4. & 5. Imola num. 5. Jason num. 3. & 7. Idem Bart. d. l. Insulam, in fine, ubi Angelus numero unico, Paulus in fine, Aretinus in fine, Alexand. num. 2. Jason in fine, idem Paulus l. In illa stipulatione 8. n. 1. ff. de verber. obligat. & ibi Jason n. 5. Anchar. dict. cap. Commissa, num. 4. notabili 7. Baldus cap. Licèt de vitanda, numero decimo de elect. & cap. Personas, numero quinto de appellat. ubi Alexand. de Nevo numero 52.* Et hoc est, quod dixit *Glossa cap. Tradiderat Hieremias verbo postea de pœnit. d. 1.* quam approbat *Jason ea leg. Cum stipulatus numero secundo* nempe, promittentem scribere librum intra biennium, sub certa pœna, posse conueniri ad pœnam, quando tantum temporis lapsum est, ut in residuo scribi nequeat. Id enim ex eo procedit, quòd ea pœna sit conuentionalis. Et quamuis communiter Doctores loquantur de pœna conuentionali, dum dicunt eam incurri statim, quando certum est in residuo tempore opus promissum perfici non posse. At idem est dicendum de pœna ab homine, ut judice statuta non facienti aliquid intra certum terminum. Quippe id probat ea ratio, minùs agitur cum lege, quàm cum homine, & ideo pœna legis est magis restringenda. Et ita *Angel. ea l. Cum stipulatus, numero tertio*, ait idem dicendum de pœna hac, & eam æquiparari pœnæ conuentionali. Et *Bayr. ibi num. 4.* generaliter dicit pœnam ab homine statutam incurri ex tempore, quo certum est non posse promissionem impleri, secùs de pœna legali. Et tantùm ex priori membro excipit, & ipsum sequens *Paulus ibi numero quinto*, quando judex imponit pœnam lege statutam, eo modo, quo in lege statuta est, tunc enim non pœna hominis, sed legis censenda est. Atque *Bolius eò cap. Personas, num. 5. & ibi Alexand. de Nevo numero 52.* generaliter loquuntur de pœna hominis; ob idque defendunt termino præfinito à judice appellationi prosequendæ, non censeri appellationem desertam, ut sententia executioni mandari debeat, donec totus terminus elapsus sit. Quia censeri eo termino transacto appellationem desertam non est pœna hominis, sed legis. Quòd si conditio, in cujus defectum imponitur pœna, sit implenda à quodam tertio, ut *si intra biennium Titius non ædificaverit Ecclesiam, solvam certam pœnam*, à fortiori incurritur, quando id temporis superest, in quo nequit opus expleri, nec curavit promittens, ut alter expleret, ad quod ex vi promissionis tenebatur. Quod constabit ex dicendis *cap. seq. n.* 38.

24 Quidam temperant, ut pœna legalis non incurratur ante totius temporis lapsum, ut intelligatur de pœna non trahente secum executionem, qualis est excommunicatio lata, & infamia ipso jure incursa. Cum enim hæ pœnæ suam secum executionem afferant, nullo hominis ministerio indigentes, si statuto aliquo imponantur non facienti aliquid intra certum tempus, incurruntur ab eo tempore, ex quo jam certum est opus id perfici non posse. Sic *Bart. l. Cum stipulatus sim* 113. *num. 6. ff. de verb. obligat. & ibi Alexand. num. 9. Aretinus ibi, Jason n. 8.* dicens esse communem sententiam. At meliùs *Angelus, & Cumanus ibi*, quos refert, & sequitur *Sylvest. verb. Pœna, quæstione decimaquinta*, eam limitationem negant, utpote, quæ nullo jure probatur, & nulli solido fundamento innititur. Quare existimo utendum distinctionem tradita *numero præcedenti*, ut si illa excommunicatio lata sit ab homine, incurratur instar pœnæ hominis, ab eo tempore, ex quo certum est in residuo non posse illi judicis præcepto pareri. Secùs si statuto, vel lege lata sit, non enim tunc incurretur, donec totus terminus elabatur.

25 Est tamen maximè observandum, etsi pœna illa conuentionalis, & quæuis ab homine pœna statuta incurratur ante totius termini lapsum, quando in residuo opus promissum perfici nequit, non tamen perfectè, & cum effectu incurritur, donec totus terminus labatur. Quia ante ejus lapsum non potest debitor compelli ad solutionem pœnæ. Atque ita docent *Glossa leg. Non omnis, in principio, verb. Obligatio, ff. si certum petatur, Speculator, titulo de obligationibus, §. Ante omnia igitur, numero trigesimoquinto, versic. Quid si promisisti, Bart. leg. Cum stipulatus sim.* 113. *numero tertio & quarto, ff. de verb. obligat. & ibi Paulus numero quarto, Jason num. secundo, Idem Paulus l. In illa stipulatione octava, numero primo, ff. eodem titulo ubi Jason num. 5. Albericus l. Insulam, in fine, ff. eodem titulo, ubi Angel. num. unico, Anchar. cap. Commissa numero 4. notabili 7. de electione in 6. ubi Franciscus in principio, num. tertio.* Et est appositissimum hujus exemplum. Sicut pœna jure ipso imposita incurritur à tempore delicti; at executio post ejus declarationem. Quòd si quæras, cujus utilitatis sit, pœnam ab homine statutam incurri ipso jure ante lapsum termini, si peti nequit, donec terminus labatur; Dico cum *Paulo ea l. Cum stipulatus, numero primo, Alberico in fine, Jasone num. 4. & numero septimo in fine*, esse maximæ utilitatis. Quia si terminus ille prorogetur, impedit pœnam legalem, utpote quæ nondum incursa, sed incurrenda est. Atque in casu textus *cap. Commissa, de elect. in* 6. quando id temporis transactum est, ut in residuo nequeat Parochus ad omnes sacros ordines promoueri, quia pœna illa legalis vacationis beneficii non est incursa ante totum annum elapsum, si ante ejus lapsum dispensetur in anno illo ad assumendos ordines præfixo, idque tempus prorogetur, non incurretur pœna, sed prorogabitur usque ad terminum prorogatum. Ut benè tradunt *Lapus allegatione 9. num. septimo, ubi Mandosius in additione litera L*; alios concordantes allegat *Joannes Andreas, ea cap. Commissa, numero secundo, Anchar. numero quarto, notabili septimo, Franciscus in principio, numero 3. Dominicus in principio num. 1. Remanus, Auferius, Bellamera*, quos refert, & sequitur *Rebuffus praxi benef. titul. de non promotis intra annum, nu. 43. & 44.* At terminus prorogatus non impedit pœnam hominis, utpote, quæ jam incurta erat; quando prorogatur eo tempore, in cujus residuo promissio impleri non poterat. Ut benè docent *Albericus, Paulus, Jason ibid.* Et ratio est, quia in priori casu, prorogato termino videtur tacitè recessum à pœna, quæ ob moram incurrenda erat; cessat enim mora termino prorogato, ac proinde pœna moræ. At secùs in posteriori: quia cum jam pœna incursa esset, non potest extingui.

26 His præmissis de simili promissione humana, & descendendo ad votum, priùs investiganda est voventis intentio, qui promisit aliquo termino se aliquid effecturum sub certa pœna; ut in exemplis adhibitis *num. 23. in initio*: etsi illa ex aliquibus conjecturis investigari potest, est illi adhærendum. At ubi ea conjici, nequit, sed res est anceps, standum est præsumptione juris, ejusque interpretatione ejusmodi promissionum, quæ est, ut teneatur vouens ad pœnam ex tempore, in cujus residuo res promissa perfici nequit, quamuis totum tempus in conditione appositum nondum lapsum sit. At voti executio non debebitur, donec totum tempus labatur; juxta *dicta numero 23. & 25.* Ea enim pœna non est ex lege, sed ex ipsius voventis promissione. Quippe in dubio standum esse in utroque foro præsumptione juris, probavimus *libro primo hujus tractatus cap. decimo, numero decimo octavo*. Atque operabitur pœnam ante adventum termini incursam esse, ut si quando jam termino præfixo opus perfici non posse certum est, impetretur dispensatio ad differendum id opus ultra terminum præfixum, vel omnino impetretur dispensatio, commutatio, vel irritatio voti, nulla pœnæ mentione facta, debebitur pœna accedente termino, ac si ea dispensatio, irritatio, vel commutatio impetrata esset post elapsum totum voti terminum. Quia in utroque casu jam incursa erat pœna, nec prorogato termino prorogatur: juxta dicta *numero præcedenti*. Quare ipsius quoque pœnæ dispensatio, commutatio, irritatio impetranda esset, ut ejus obligatio cessaret.

27 Ultima difficultas est, an tam votum pœnale, quàm conditionale obliget statim, ac euenit conditio, ita ut illud sit præcisum executionis tempus, perinde ac si illud tempus specialiter destinatum esset? Ut si quis promittat religionem, *si Pater evenerit ex Asia*, vel *si luserò*, illa dies adventus, vel ludi sit præcisa, in qua obligat statim absque aliqua mora ingressus religionis, ut si illa dies esset assignata in voto ad egrediendum? Neminem inveni hoc tractantem sed tantum Doctores tradunt votum pœnale, & conditionale non obligare ante conditionis eventum, eo autem stante obligare. At dicendum est ita præcisè hoc intelligendum, ut illa dies eventus conditionis, sit ultimus, & præcisus obligationis exequendæ terminus: sed id solùm intendunt Doctores, ut ex tunc incipiat completè, votum illud obligare, perinde ac si esset absolutum. Cum ex conditionis eventu jam incipiat instar absoluti obligare. Quare obligabit sicut votum absolutum, cujus executionis præfixus non est. Quare si promitteretur aliquid in eventum illius conditionis exercendum quotidie, siue merè conditionaliter, siue per modum pœnæ, obligabit votum ad quotidie faciendum, ex illa die, qua euenit conditio. Sicut si tunc emitteretur votum absolutum faciendi aliquid quotidie. Si verò fuit votum aliquid faciendi non signato termino, obligabit instar voti absolutè absque termino emissi, & hoc quando jam impleta est conditio. Et idem intelligo, etsi

etsi sensus illius particulæ, *si*, non sit conditionalis, sed significet, *quando*. Ut *si pater meus obierit*, idest, *quando pater meus obierit, promitto religionem*; non enim est sensus, ut illa dies sit præcisa ingressui, sed ut id votum non liget, donec is eventus accedat. Sicut contingit in voto conditionali. At si esset votum quotidie aliquid faciendi, ut recitandi, aut non faciendi, ut non ludendi, castitatem seruandi, obligaret ex illa die; atque idem contingeret in voto conditionali, & in voto pœnali. Quia ex tunc hæc vota obligant, ac si tunc absolutè emitterentur. At tunc absolutè emissa obligarent ex illa die. Atque idem intelligo, etsi in conditione sola apponeretur terminus. Ut *Voueo religionem, si intra biennium lusero, si intra biennium pater meus obierit, si intra biennium me fratres admittere voluerint, si intra biennium evasero doctus in tali facultate*: dum enim de alia vouentis intentione non constat, non censendus est in dubio obligandus ad majus, nempe, ut id tempus in conditione positum censeatur quoque in re promissa repetitum, ut sit præcisus illius exequendæ terminus. Sed tamen censendum est adjectum ad expectandum conditionis eventum, ut eo transacto opus non sit ampliùs expectare, sed extinguatur voti obligatio. Et quamuis *cap. sequenti num.* 38. dicemus in obligationibus sub conditione negatiua implenda à promissione, tempus appositum in conditione censeri repetitum in promissione; id ad eum effectum est, ne antea censeatur contracta obligatio, etsi certum sit in tempore residuo non posse impleri conditionem, non tamen ad eum effectum, ut ea sit præcisa obligationis dies, ac si illa præcisè destinata esset.

28 Sed superest difficultas, an ad judicandam notabilem moram constituentem culpam mortalem dilationis voti, spectandum sit solùm hoc posterius impletæ conditionis tempus, etiam quando sensus non est conditionalis, sed, *si*, æquiualet particulæ, *quando*, an etiam spectandum sit prius tempus, quo id votum emissum est? Et videtur prius tempus spectandum esse. Tum, quia ex tunc contracta est obligatio, etsi imperfecta, pendensque ad suam consummationem ex futuro conditionis eventu. Tum etiam, quia posita conditione retrotrahitur obligatio ad prius tempus, quasi illo absque conditione esset contracta. Ut constat ex *l. Potior* 11. *in principio, ff. qui potiores in pignore habeantur*: ibi: *Cum enim semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita, sine conditione facta esset*. At dicendum est, hoc tempus moræ numerandum esse à tempore impletæ conditionis, etsi particula, *si*, æquivaleat particulæ, *quando*. Ducor, quia quando obligatio fuit à principio absoluta, cœpit à principio perfectè obligare, & ex tunc constituere in mora. At quando conditionalis, quamuis particula, *si*, æquivaleat, *quando*, solùm incipit in mora constituere à tempore impletæ conditionis. Quamvis autem ea impleta retrotrahatur obligatio, id tantùm verum est, ut ex tunc incipiat obligare absolutè, & effectus obligationis verè absolutæ producere, quos à principio produxisset, si ex tunc absoluta esset.

CAPUT XXIII.

Qualiter votum obliget conditionale?

SUMMARIUM.

Votum conditionale, quid sit; & in quo à pœnali differat? numero 1.
Quotuplex sit conditio? n. 2.
Quot quæstiones disputandæ sint? n. 3.
An valeat votum, sitque conditionale, quando conditio est affirmativa, & honesta, præsentis, aut præteriti temporis? num. 4. Et ibi an statim obliget, ita ut dies illa censeatur determinata executioni voti?
Quid, si conditio sit necessaria, etiamsi sit futuri temporis? numero 5.
Quid, de conditione honesta, contingentique futuri? n. 6. Et ibi an sit necesse totam conditionem impleri?
An possit apponi transacto vouendi actu, aut voto conditionali adjici posteà noua conditio, aut restrictio? n. 7.
Quid de conditione impossibili, cujuscumque temporis? n. 8.
Quid, si voti executio pendeat ex Pontificis licentia, & quando nequeat absque excommunicatione adiri Hierosolyma absque Pontificis licentia? n. 9.
Quid de conditione turpi contra voti substantiam? n. 10.
Quid de conditione turpi non contra voti substantiam? numero 11.
De intellectu quarumdam conditionum, & an cassent votum? Remissivè, n. 12.
Quid de conditione si patri placuerit, de præterito, aut de futuro, vel si modò placet? n. 13. & 14.
Quid de conditione; si alter requisierit, vel eo requirente, & is antea obeat? n. 15.
Quid, de conditione, si voluero, si arbitratus fuero? n. 16.
Quid, de voto non ludendi, vel simili, nisi pater, vel alius velit, vel donec velit, vel det licentiam, vel donec veniat, vel tale quid faciat, & pater, vel ille alius priùs obit? numero 17.
Quid, si conditio sit per alium implenda, & per ipsum non stet, sed offerat? n. 18.
Quid, si votum emittatur sub pluribus conditionibus, & dubia sit vouentis intentio? n. 19.
Quid, si sub pluribus conditionibus copulativè, aut disjunctivè? n. 20.
Quid, si altera ex illis sit impossibilis, aut necessaria? n. 21.
Quid, si altera sit mala, vel indifferens? n. 22.
Quid, si conditio impleta erat tempore voti conditionalis, numero 23.
Quid in dubio modi, quo apposita est ea conditio, vel an vouens sciuerit, an ignoravit eam impletam? n. 24. Et ibi quid in dubio, an in continenti sit adjecta?
An sufficiat conditionem non in propria forma, sed in æquipollenti impleri, quamuis non sit propriè conditio, sed importet idem, quod quando? *Proponuntur probantia id non satis esse, numero 25.*
Explicatur sententia Auctoris, & solvuntur contraria, numero 26.
Quid in dubio, an conditio in æquipollenti impleatur, vel an ea fuerit virtualis vouentis mens? n. 27.
An vouens sub conditione castitatem, religionem, assumere ordines sacros, non inire matrimonium, teneatur pendente conditione non transire ad nuptias, etiamsi tempus aliquod lapsum sit, & conditio adhuc pendeat? n. 28.
In dubio an conditio impleta sit, an obliget votum? n. 29.
An conditio debeat cum impleto effectu impleri; ut si non ingressus fuero religionem, voveo jejunium, vel ministrare Xenodochio, an teneatur ad hæc exiens tempore novitiatus, vel post professionem, aut vota biennii expulsus à Soc. Jesu? Et quid in dubio intentionis voventis? n. 30.
Post n. 30. invenies alia summaria.

1 PRæmittere oportet, quid sit votum conditionale. De qua re latè egimus *lib. 8. de matrimonio, disputatione decima, numero quarto & quinto*, ubi quidam voti conditionalis definitionem ab aliis traditam reprobavimus. Et diximus commuuiter, & in plurimum votum conditionale esse, quando affectus voventis non fertur directè in rem promissam, sed in aliquid, quod optat consequi, aut vitare, quod ponitur in conditione. Et tunc particula, *si*, æquitalet veræ conditioni. Dixi autem, *in plurimum, & communiter*. Quia aliquando non est affectus ad rem sub conditione positam, sed ad rem promissam, non absolutè, sed supposita illa conditione. Et ita ut omne votum conditionale amplectamur, ut distinguitur à pœnali, potest sic definiri. Votum conditionale est, quando consensus non est statim perfectus, & absolutus, sed pendet ex futuro eventu posito sub conditione, & non quasi determinatione temporis, nec res promissa ponitur quasi odiosa, & supplicium alicujus rei. Per priorem partem differt votum conditionale ab eo, quod non est verè, sed apparenter conditionale, & verè est absolutum. Quod contingit, quoties particula, *si*, æquivalet particulæ, *quando*; ita, ut sensus sit, *quando hoc evenerit*. Tunc enim non est verè conditio, se determinatio temporis exequendi voti; consensus enim absolutus, & perfectus est statim, & sola executio differtur in id tempus. Sicut quando quis vovet se ablinc uno anno ingressurum religionem, vel contracturum matrimonium promittit fœminæ, est statim consensus perfectus, & absolutus, atque ita illa sponsalia statim parerent impedimentum publicæ honestatis; solaque executio differtur in tempus illud destinatum. At quando est verè conditionale, consensus est imperfectus, & pendens à conditionis eventu; ac proinde sponsalia conditionalia non pariunt impedimentum publicæ honestatis, donec conditio eveniat, *cap. unico de sponsal. in* 6. Communiter autem tunc particula, *si*, æquivalet particulæ, *quando*, & sic non est votum verè conditionale, quoties quis rem promissam desiderat exequi, sed quia aliquo impedimento detinetur, vovet illam, si id impedimentum cesset, idest, exequi, quando id cesset. Verbi gratia, quis morbo pressus, aut in alio periculo constitutus vovet religionem, si incolumis evaserit, eo animo quasi ineundi contractus innominati cum Deo, *faciam ut facias*: hoc est, *ingrediar religionem, si incolumitatem ex hoc periculo concesseris*, est votum verè conditionale. Quia nec voluntas fertur directè in religionem promissam, sed in incolumitatem optatam obtineri media illa voti oblatione. Nec consensus est statim perfectus, & absolutus, sed à futuro eventu pendens. Si verò animus voventis sit omnino affectus ad religionem; at defectus salutis impediat, aut mors ex naufragio, aut morbo imminens, voveatque religionem, *si incolumis evaserit*, ita ut ejus sensus sit, *quando evaserit*; est votum absolutum, & consensus est statim perfectus, & absolutus, solaque executio differtur in id incolumitatis tempus. Ut contingit in hoc voto, *si pater obierit, ingrediar religionem*, sensus enim est, *quando pater obierit*. Et constat apertè, quia si sensus esset conditionalis, cum conditio illa sit necessariò eventura, obligaret statim promissio, nec ex futuro eventu penderet. Ut optimè aduertit *Molina tomo secundo, de justit. disputatione 284. columna tertia, versic. Illud observa*, dicitque esse promissionem in diem mortis. Quod etiam docet *Flossa, §. Si quis ita stipuletur, verb. Cum morietur, institut. de verborum obligat.* dicens esse promissionem in diem, cum morietur, & non conditionalem. Quòd si dicas, posse quoque accidere voventem eum quasi contractum

inno-